

sic exhibeat, juxta capitulum 4. de regular. in 6. Nam si fortè aut religiosam professionem non emittat, aut emissam revocet, allegando, eam irritam fuisse, non dubito, quin beneficium recuperare valeat, saltem ope restitutionis in integrum, argumento canonis r. caus. 17. quæst. 2., cui jungi potest caput 16. sess. 25. de regul. in Concilio Tridentino. Dicendum etiam erit, esse amissum beneficium, quoties Clericus habitum clericalem ita mutaverit, ut nulla supersit dubitatio, quin à clericali militia recesserit, quemadmodum

CAPUT II.

De causis, ex quibus beneficium sententia Judicis amittatur.

OMnia ferè beneficia, quæ ipso jure amissa proponatur, videntur quoquo modo per Judicis sententiam amitti: etenim utcumque casus eveniat, quo Clericus beneficio cadat ex legis potestate, necessaria semper erit Judicis declaratio, qua constet, eundem à beneficio cecidisse. Non inde tamen deducitur, beneficium hac ratione amissum propriè censeri quasi amissum sententia Judicis, ob plures juris effectus, qui etiam ante sententiam locum habere possunt; inter quos ille præ cæteris recensetur, quod etiam ante Judicis declarationem, beneficium eo modo vacans validè, uti loquuntur scholæ, conferretur, quoties nihil aliud obstaret, licèt institutus in eo beneficium non citato spoliato non posset in corporalem vacantis beneficii possessionem induci, cap. 18. de præbend. Itaque beneficium propriè dicitur sententia Judicis amitti, cum Clericus dignis de causis Superioris auctoritate beneficium spoliandus est, vel ordinario jure, quoties id faciendum ab Ordinario expressè sacri canones moneant; vel extra ordinem, quoties singularis emergat

ex recentioribus numero plurimis Pontificum Maximorum constitutionibus receptum est. Denique, ut omnia paucis complectar, amittitur juris potestate beneficium, quodcumque, & qualicumque ex causa vel generales, vel singulares dioceseon leges apertè declaraverint, Clericum beneficio cadere. Qua in re illud erit perpetuò animadvertendum, ut nunquam credendus sit Clericus à beneficio jure cecidisse, quousque de perspicua constitutione Clericum damnante non constet.

causa, qua pœna gravis sit Clerico infligenda sacris canonibus expressè non definita. Sanè hac in re ecclesiastici Judices duplicis generis sententiam pronunciare possunt. Vel enim Clericum à beneficio repellunt per modum, ut ajunt, pœnæ, vel per modum, ut ajunt, censuræ. Pœna est privationis beneficii, cum Clericus ita repellitur, ut perpetuò excludatur; si verò ad tempus tantum Clericus arceatur, sive determinatum, putà ad annum, sive determinatum ex. gr. quousque respiscat, non pœna dicitur, sed censura; propterea quod hac in specie terretur quidem Clericus, sed non punitur. Hinc liquet, propriè non vacare beneficium illata censura, sed demùm inflicta pœna. An verò pœna, an censura illata sit, id ex conceptis pronunciatae sententiæ formulis dignoscitur.

Causæ, ob quas disciplina ecclesiastica postulat, ut Clericus beneficio Judicis auctoritate privetur, ad has ut plurimum referuntur. Prima est, si Clericus sacri officii à se obeundi, & sui gradus immemor, secularibus negotiis incumbat. Secunda est, si turpi, & in-

ho-

honestæ vitæ se dedat, cap. 14. de vita, & honest. Cler., cap. 4. 6. de cohabit. Cler. & mulier., Concilio Tridentino sess. 21. cap. 6., & cap. 14. sess. 25. de Ref. Tertia, si Clericus violaverit indictas residentiae leges, juxta ea, quæ superius tradita sunt, tam ex generali veterum Conciliorum disciplina, quàm ex recentioribus Concilii Tridentini decretis, & Romanorum Pontificum constitutionibus, cap. ult. de Cler. non resid., Concil. Trid. sess. 6. cap. 2., sess. 23. cap. 1., & sess. 24. cap. 12. de Ref. Denique paucis concludere possum, prudenti Episcoporum arbitrio reservatam esse, ut, si quando Clerici aut officio non fungantur suo, aut gravissimi cujusdam criminis rei redarguantur, pro modo admissi exasperare pœnas possint usque ad beneficii

privationem, etiam si hujus generis pœna expressa canonum definitione inferenda non dicatur, dummodò tamen præcedat Episcoporum eorundem monitio, cum non sit pœna adeo gravis, nisi in contumaces, ferenda. Hinc colliges, quid sentiendum sit in ea questione, num, si Theologalem præbendam possidens causa tradendæ sacræ doctrinæ, suo munere non fungatur, atque pertinax adeo sit, ut jubenti Episcopo parere detrectet, possit tamen præbenda privari, licèt in Tridentino Concilio sess. 5. cap. 1. de reform. nihil tale expressè definitum appareat. Neque enim dubito, eam concessam intelligi Episcopo facultatem juxta generalem canonum disciplinam, quæ non fuit expressè denegata.

CAPUT III.

De causis, quibus beneficiarii facto suo beneficia ecclesiastica amittunt.

Quoties de munere publico agitur, regulæ etiam Romani juris perspicuè docent, neminem posse se officio abdicare, l. 1. ff. de excusat. & vacat. num. Quamobrem cum etiam Clericorum munera beneficiis adnexa juris publici esse videantur, generalis erit recipienda doctrina, quæ postulat, ne semel suscepta dimittantur. Hæc ratio est, quare prioribus Ecclesiæ sæculis usque ad duodecimum, vel decimumtertium, vix exempla inveniamus Clericorum à suis beneficiis recedentium, ex eo præsertim, quod cum beneficia tunc temporis à sacra ordinatione penderent, & sacra ordinatio perpetuò vi indubii characteris consistat, ipsa quoque beneficia perpetuò Clericis adhærebant. Non persequor fusius hanc rem, utpotè quam expendi initio tractationis, dum beneficiorum naturam, & qualitates universas explicarem.

Verùm recentiore ætate, postquam præsertim collatio beneficii fuit ab ordinum collatione sejuncta, inductum est, ut abdicaciones, seu renuntiationes facilius reciperentur. Huic etiam novæ disciplinæ invehendæ occasionem dedit diversa, quæ sequiore ætate fingi cœpit, beneficiorum imago, contra quam esset in rei veritate, atque ad sacros canones aptè, adpositeque. Ipsum beneficii nomen, quo exemplo feudorum eodem nomine olim designatorum, indicari videbatur, Clericos ad beneficium vocatos præmio quedam affici, insinuat apud plures, liberum esse sive illud retinere, sive rejicere, propterea quod in invitum nullæ conferuntur liberalitates. Multitudo quoque illorum, qui beneficia passim postulabant, videtur inanem reddere priscam illam sollicitudinem Episcoporum, qua invitos Clericos in ministerio detinebant. His acces-

serunt, jura Clericorum beneficiariorum, quæ ex usu loquendi, & ex Pragmaticorum traditionibus magni fiebant; cum passim scribere non dubitaverint, beneficiarios aut esse fructuum dominos, aut saltem jus habere splendide utendi commodis beneficii; item è converso onera beneficiis adnexa, quæ passim imminuebantur, aut cum Clerici plures dicti sunt à residentia lege soluti, aut cum traditum est, posse Clericos per substitutum Ecclesie ministrare, & his similia. Et quamquam identidem ecclesiasticis legibus, ac præsertim ex Tridentinis decretis curatum sit, ne hæc difformis & prava beneficiariorum imago cuderetur; interea tamen satis fuit, ut aliquando talis apud plures efformaretur, quo facile & cessiones, & resignationes admitterentur. Eo amplius itum est, ut renunciationum etiam admitterentur diversa genera, qualia sunt, aut renuntiationis simplicis, sive puræ, aut renuntiationis conditionalis, quæ triplici adjecta conditione fieri posse: nimirum vel ut beneficiarius ad aliud beneficium transferatur, vel ut beneficium cum beneficio commutetur, vel ut dimissum beneficium certo designato Clerico conferatur, quam postremam speciem appellant nostri resignationem in favorem. Hinc statim nemo non videt, renuntiationem simplicem, sive puram, illico vires suas exerere, ubi legitime facta sit; renuntiationem autem conditionalem, quæcumque tandem ex memoratis conditionibus adjiciatur, in suspenso manere, donec conditio impleatur.

Si renuntiationes puræ, ac simpliciter factas cum renuntiationibus conditionalibus conferamus, illico observandum occurret, ista magis, quam illas Sanctorum Patrum regulis adversari. Reverà renuntiationes simpliciter, ac puræ factæ repugnant tantum naturæ beneficiariorum, quæ publica munera sunt, proindeque perpetua: at quæ sub conditione fiunt, præterquamquod æquæ re-

pugnant beneficiariorum naturæ, causas identidem habere possunt in privatis adfectionibus, in ambitu, in avaritia, atque his similibus animi notis. Item renuntiatione simplex, & puræ facta adhuc esse potest pœnens eum, qui beneficiariorum imaginem sibi fingat sacrarum canonum principiis consonantem. Finge enim verò, aliquem sibi persuadere, beneficia esse onera gravissima Clericorum, beneficiarios laboriosam vitam suscipere, vix uti bonis beneficii posse ad sui necessitates. Hic sanè adhuc moveri ad renunciantium potest, proptereaquod velit vitam in quiete, ac tranquillitate traducere, eadem ratione, qua veteres eam honesti viri regimina Ecclesiarum fugiendo vitabant. E contrario, qui sub conditione beneficium resignat, jam animo præconcepit, beneficia commodum beneficiario parere, & commodum eo majus, quo majora beneficia sunt; præconcepit animo, ut verbo dicam, dari potius beneficia hominibus, quam beneficiis homines. At enim finge, quemquam renunciantem beneficio, translationis, vel permutationis causa. Is putat se majorem fructum ex novo acquirendo beneficio percepturum; quod vel ipsa quotidiana experientia docet, qua intuemur passim, unumquemque conari, ut vel de tenueribus ad pinguiora beneficia transferatur, vel illud beneficium permutationis causa adquirat, in quo majus sibi commodum fore sentiat. Finge, quemquam renunciantem sub ea conditione, qua beneficium certæ à se selectæ personæ adquiratur. Is putat, se ea ratione suis, necessariis, amicisve consulere. Hæc causa est, quare apud veteres adeo improbarentur Clericorum translationes, can. 24. 25. & passim. caus. 7. quæst. 1., can. 107. de cons. dist. 4. Hæc causa est, quare beneficiariorum permutationum, aut resignationum in favorem nulla exhibeantur apud antiquos exempla, non in Actis Conciliorum, non apud historicos rerum ecclesiasticarum scriptores, non denique apud

apud collectores canonum, ne apud ipsum quidem novissimum decretorum collectorem Gratianum. Ecquidem inde paulatim usu receptæ sunt omnes: Interea tamen juvat imprimis observavisse, quibus principiis nova hæc disciplina consistat, ex quibus concludi rectè debet, cum illa à recta canonum disciplina deflectant, tum demum probari facile posse, cum vel eas necessitates Ecclesiarum probandas suadeat, vel saltem Ecclesiarum utilitas ad eas deveniendum esse postulet, cap. 8. de præbend., cap. 5. de rer. permut., juncto cap. 1. eod. tit. in 6., & Clement. un. eod. tit. Itaque in hac re cavendum semper erit, ne privati potius commodi, sive proprii, sive alieni, quam publicæ utilitatis ratio apud renunciantem locum habeat, ne fortè turpe simoniae vitium aliquando contrahatur, dicto cap. 5. de rer. permut. Declinandum præterea erit à vitio, uti vocant, confidentiæ, apertissimis Pontificum Maximorum, & numero plurimis constitutionibus improbatum; quod tunc admittitur, cum Clericus beneficium impetrat, intercedente conventionem quadam, sive expressa, sive tacita, ut receptum beneficium in alium transferat, vel impetrati beneficii fructus ab extraneo percipi sinat, quod, tanquam simoniae labem detestabilem continens, damnaverunt Pius IV. in constitutione *Romanus* 85., Sixtus V. in constitutione *Pastoralis* 61., & Pius V. in constitutione *Durum nimis* 104., inflicta etiam adversus confidentiarios omnes anathematis pœna. Paucis dicam: damnandus semper erit Clericus, quoties beneficium impetrat, non animo perpetuò in eo manendi, sed illud post certum tempus dimittendi, vel gratia amici, vel consanguinei, vel ut habeat, quod cum alio beneficio permutet. Videatur etiam constitutio Pauli IV., quæ incipit *Inter cæteras* 33., ubi etiam excommunicatione innodantur illi, qui aliorum induentes personas sese examini subjiciunt causa adipiscendi beneficia, quæ concurrerunt

tibus, aut aliàs post examen repertis idoneis conceduntur, ut brevi manu in amicos, vel in alios bene erga se meritos eadem beneficia transferant. His conditionibus, quibus pactum intercedit translationis, vel permutationis, vel concessionis beneficii alterius gratia, non dissimilis est altera conditio, qua quis ita cedit beneficio, ut pensionem in eodem beneficio sibi reservet; etenim etiam in ista conditione maximè locum habere aliquando potest & privata adfectio, & fraus. Quid enim ex. gr., si quem ministerii ecclesiastici tædeat, & cum aliàs par esset obeundo ecclesiastico muneri, mallet post adeptum beneficium otiosam vitam traducere, nihilominus utens beneficii redditibus certa pensione sibi reservata in renuntiatione? Quid, si quis beneficium impetraverit non animo retinendi, sed post breve tempus cedi reservata sibi pensione? Hæc omnia, atque his similia, non nisi ex pravus animi adfectionibus oriuntur, proptereaque damnanda ab omnibus existimantur.

Quæcumque fiat beneficii cessio, sive renuntiatione, debet fieri legitimi superioris auctoritate, atque illis præterea consentientibus, quorum interest. Requiritur imprimis legitimi superioris auctoritas, non tam ex eo, quod unumquodque eo modo dissolvendum sit, quo fuit colligatum, cap. 1. de reg. jur., ac propterea non debeat cedi beneficium, nisi interveniente auctoritate illius, sine cujus facto concedi non poterat; quam ex eo, quod beneficium cedi nequeat, nisi legitima suadente causa, atque eadem causa debeat à superiore probari. Legitimi superioris nomine eum intelligo, ad cujus ordinariam jurisdictionem pertinet collatio beneficii illius, de cujus agitur abdicatione, qui ut plurimum est Episcopus, cap. 4. de renunciat. Quod si agatur de renuntiatione beneficii causa permutationis, & beneficia in diversis diocesisibus sita sint, tunc utriusque Episcopi accedere debet auctori-

tas. Singulare quidquam jamdiu receptum est in translationibus Episcoporum, quæ sunt soli Romano Pontifici reservatæ, cap. 2. de translat. Episc. Item hodie reservantur Pontifici Maximo admissiones renunciationum, quæ fiunt favore alterius, quod primum obtinuisse videtur post editam Pii V. constitutionem, quæ incipit *Quanta Ecclesia* 58. in Bullario Romano. Visa fuit hæc causa digna maturiore judicio, quam propterea Pontifices Maximi in suam curam, ac providam sollicitudinem reciperent: adeo verum est, in his specibus verendum maximè esse, ne fraus fiat utilitatibus Ecclesiarum, & solis privatorum adfectionibus indulgeatur. Nihil amplius hoc in loco dico de renunciatione facienda sub reservatione pensionis, postquam plurà in hanc rem in præcedente dissertatione cap. 3. adnotanda fuerunt. Dixi præterea, requiri consensum illorum, quorum interest. Hujusmodi sunt patroni, sive laici, sive ecclesiastici, quoties agatur de beneficio eorum patronatui obnoxio: item ii, qui jus habent eligendi, quoties agatur de beneficio electivo. Quid verò, si Episcopus, aut alius Prælatus, ad quem ea pertinet jurisdic-tio, renunciationem existimet esse Ecclesie necessariam, vel valdè utilem, sed patroni, vel illi, ad quos spectat jus eligendi, dissentiant? Receptum est, ut patroni, vel ii, qui jus habent eligendi possint cogi ad præstandum assensum, & si consentire nolint, possit Prælatus iis omninò contemptis ad renunciationem adprobendam progredi, & executioni demandandam, Rebuffus in praxi beneficiaria parte 3. tit. de permutacionibus numero 22., Garzias de beneficiis parte 2. cap. 3. num. 17. & sequentibus, ubi refert conformem Sacræ Congregationis definitionem numero 27.

Præter legitimam auctoritatem justa etiam causa requiritur, ut renunciatio valeat. Absit autem, ut eas justas causas dicamus, quas ex corrupta renunciantium mente suis temporibus inva-

sisse scribebat Rebuffus in praxi beneficiaria lib. 3. titulo de resignatione expressa num. 3. ibi: *Hodie causa cansarum est affectio carnis, quia omnes volunt suos consanguineos proficere Ecclesiis, quibus fortè male præferunt, ut pessimè quoque illi postea præsent, cap. grave de præbend., cap. un. ut ecclesiastica beneficia; & ista est, quæ jamdudum labefactavit totam Ecclesiam: altera est etiam cansarum regina pecunia, ut in toto titulo de simonia, can. fertur caus. 1. quæst. 1.* Justas causas existimabimus eas, quas sciemus jure probatas, quales ad unam vel Ecclesiarum necessitatem, vel gravem utilitatem referuntur, quemadmodum scripsit S. Thomas in secunda secundæ quæst. 100. art. 1. ad 3. Quibus in facti speciebus necessitas, vel utilitas Ecclesie renunciationem admitti postulet, perspicuè expressit Innocentius III. in cap. 10. de renunciatione, cujus sententiam memoriæ juvandæ causa duobus hisce versiculis contraxerunt Decretalium Breviatores:

Debilis, ignarus, male conscius, irregularis,

Quem mala plebs odit, dans scandala cedere possit.

Reprendebat Innocentius III. Episcopum quendam, qui Episcopali sollicitudine se abdicare volebat, statuens initio generalem regulam, docensque, nemini licere à ministerio semel suscepto recedere. Deinde causas recensuit, propter quas probabilis est renunciatio. Primam causam memoravit criminis, conscientiam, & quidem non cujuscumque criminis, sed illius, quo admissio etiam post peccatam pœnitentiam quis impeditur, ne officium exequatur. Quod enim crimen si notum esset, ac in judicio probatum, causam judici præberet, ut beneficiarium ab officio dejiceret, causam etiam præbet, ubi occultum est, ut beneficiarius ipse spontè beneficium dimittat, quasi officium judicis in se aut gerat, aut præveniat. Alterum causam retulit corporis debilitatem, quæ vel ex infirmitate, vel ex senectute pro-

cedat, idque tum demum, cum ita quis debilitate fractus est, ut nequeat munus implere. Tertiam causam collocavit in defectu necessariæ doctrinæ, qua in specie non tam ferendum esse scripsit, si quis renunciare voluerit, quam omninò laudandum. Quartam causam esse tradidit malitiam plebis, qua interdum cogatur Prælatus Ecclesie ab Officio cessare, tum nimirum, cum Prælatus subditis suis proficere nullo modo posset. Quintam causam dixit esse scandalum evitandum, quoties tale sit, quod bonis moribus, & utilitati fidelium curandæ adversetur. Postremam causam voluit esse irregularitatem ex defectu; nam si ex crimine orta fuisset, hæc ad primam causam refertur, seu ad conscientiam gravis criminis. Cœterum & in hac re distinguendam voluit Innocentius irregularitatem illam, quæ in sacris litteris fundamentum habet, veluti cum quis bigamus sit, vel viduæ maritus, ab irregularitate illa, quam succedente ætate Patres Ecclesie indixerunt. Priorem irregularitatis speciem voluit Innocentius probabilem esse renunciandi causam. At si de secunda specie ageretur, ubi irregularitas esset occulta, maluit, dispensandum esse ab irregularitate, ut Prælatus in officio perseveret, quam dimitti officium sacrum; atque exemplum tradidit in eo, cujus natalia illegitima fuerint, quique paternum vitium non imitetur. Cœteras causas, quæ in indulgentia erga privatas adfectiones sitæ essent, idem Innocentius improbavit. Ex quibus magis magisque firmatur, quod initio præstitutum est, causas omnes renunciandi referendas esse in publicam Ecclesie necessitatem, vel utilitatem. Exinde autem liquet, in renunciationibus conditionalibus majorem requiri causarum Ecclesie utilium investigationem, sive quòd in istis, ut dictum est, major est suspicio, ne privatis adfectionibus indulgeatur, sive quòd duplex judicium esse debet, videlicet primum, quo probetur renunciatio, secundum, quo probe-

tur conditio adjecta renunciationi.

Renunciare omnes beneficiarii possunt, qui lege non prohibentur, sive renuntient per se, sive per procuratorem ad id specialiter constitutum, & quidem publico instrumento, quemadmodum quotidiana praxis demonstrat; quod recto consilio inductum fuit ad evitandas fraudes, quæ admitti à nonnullis possent, & ne renunciens secuta renunciatione facilè conqueratur, allegando, se per vim, aut metum abdicavisse. At deputato semel procuratore ad renunciandum, etiam si mandatum fuerit revocatum, fiet tamen jure renunciatio, & facta valebit, quoties, revocationis notitia ad procuratorem, & ad collatorem beneficii non devenisset, Clement. un. de renunciat. Abs jure prohibentur renunciare pupilli sine auctoritate tutoris, si fortè ex dispensatione quadam, aut ex natura singulari beneficii à fundatore expressè indita, beneficia obtinuissent; secus ac contingat in minorennibus, quorum renunciatio admittitur, si à nemine circumventi sint; etenim in negotiis spiritualibus minor viginti quinque annis pro majore habetur, cap. ult. de judic. in 6. Præterea non admittitur renunciatio beneficii facta ab eo, qui ejusdem beneficii titulo est ordinatus, nisi alia ratione eidem consulatur, Concilio Tridentino sess. 21. de Ref. cap. 2. Item effectu carebunt resignationes, aut gratia alicujus factæ, aut adjecta conditione reservationis pensionis gratia resignantis, si dolus, & fraus in ipsis interveniat. Fraus autem admitti præsumitur, quoties quis beneficio se abdicaret conditione adjecta, ut in integros beneficii fructus sibi retineat: Quid enim aliud hic in animo versaret, quam suis commodis vacare, & totum ministerii ecclesiastici onus in alium transfere? Id à Pontificibus Maximis damnatum refert Rigantius ad Regulam 45. Cancellariæ num. 23. & sequentibus. Item fraus præsumitur, quoties quis beneficium alterius gratia resignaverit cum reservatio-

ne pensionis, adjecto pacto, ut intra certum tempus pensio data, & repræsentata pecunia redimatur. Id enim, tanquam turpem beneficiorum mercaturam, ita damnavit Benedictus XIV. in sua constitutione *In sublimi* anni 1741. 4. Kal. Septembris, ut edixerit, & resignantem, & resignarium omni jure, quod in beneficio habuissent, pœnitens cadere. Præterea ob gravissimam fraudis suspicionem rejiciuntur in Curia resignationes Parochialium Ecclesiarum, & aliorum beneficiorum personalem residentiam requirentium, præsertim cum reservatione pensionis; item rejiciuntur permutationes istorum beneficiorum cum aliis beneficiis similem residentiam non requirentibus, quoties per certum diuturnum tempus resignans beneficium non possedisset & legibus residentie non satisfacisset, quasi in his facti adjunctis, cedens videatur adeptus fuisse beneficium non animo illud retinendi, ac residendi, sed animo illud transferendi, & pensionis commodum lucrandi. Hanc consuetudinem in Romana Dataria invaluisse à temporibus Gregorii XIV. scribit Garzias de beneficiis parte 11. cap. 3. numero 47., unà adnotans, olim tempus illud designatum fuisse, aut septem, aut sex saltem annorum; licet deinde receptum fuerit, ut sufficeret tempus quinque, aut saltem trium annorum. Et quidem cum in hac re de suspitione fraudis agatur, videtur hæc res in arbitrio Pontificis Maximi collocata, qui sanè in admittenda cessione hujus generis universa adjuncta pensabit, & juxta eadem adjuncta aut facilius resignationem admittet, aut omninò repellet. Similiter fraus inesse præsumetur, quoties qui beneficium possidet, quo ad certum suscipiendum sacrum ordinem adstringatur intra annum, antequam ordinationem suscipiat, favore alterius cedat. Rursum præsumitur fraus illi inesse, qui dum prævidet, se brevè promovendum esse ad aliquam majorem ecclesiasticam dignitatem, favore alicujus beneficium per-

mutat, aut cedit, uti réceptum est ex Regula 26. Cancellariæ de beneficiis vacantibus per promotionem ad Ecclesias, vel Monasteria. Eadem ratione reus gravioris cujusdam criminis, qui prævidet, se brevè ex sententia Judicis beneficio spoliandum esse, non poterit beneficia favore alicujus resignare, vel permutare. Faber in codice lib. 1. tit. 2. def. 89. Cancellariæ, quæ inscribitur: *De infirmis resignantibus*, aliàs *de viginti*; qua obviam eundum fuit renunciationibus favore cujusquam ab infirmo factis, eo animo, ut proxima beneficii vacatio, & libera succedens Ordinarii, aut alterius Prælati, etiam si de Pontifice Maximo ageretur, collatio impediatur. Quamobrem statutum est, ut si quis infirmitate constitutus resignaverit, sive ex causa permutationis vel aliàs dimiserit, aut illius commendæ cesserit, seu ipsius beneficii unionis dissolutioni consenserit, etiam vigore supplicationis, dum esset sanus, signatæ, & postea intra viginti dies à die per ipsum resignantem præstiti consensus computandos, de ipsa infirmitate decesserit, & ipsum beneficium quavis auctoritate conferatur per resignationem sic factam, collatio hujusmodi irrita sit, ac ipsum beneficium nihilominus vacare per obitum censeatur. Adversus hanc regulam, statim ac edita fuit, cœperunt nonnulli Clerici fraudes novas excogitare. Nimirum resignationes faciebant, quum bene valerent, interea tamen resignationem ipsam occultabant, suspensa exhibitione actus in tempus infirmitatis beneficiarii. Ut novis his fraudibus occurreretur, à temporibus Innocentii VIII. edita fuit altera Cancellariæ Regula sub inscriptione *de publicandis resignationibus*, quæ viguit usque ad tempora Gregorii XIII. Statuerat in dicta Regula Cancellariæ Innocentius VIII., ne ulla amplius resignatio admittetur, nisi eadem publicaretur infra sex menses, si in Romana Curia facta proponeretur, atque infra mensem, si extra Romanam Curiam

fie-

fieret, numeratis mensibus à die supplicationis, & non à die præstiti consensus. At hæc providentia desiit inter Cancellariæ Regulas edi, postquam in hanc ipsam rem prodiit generalis constitutio Gregorii XIII. anno 1585., quæ incipit: *Humano vix judicio* 85. in Bullario Romano. In hac constitutione cautum fuit, ut nulla resignatio valeret, etiam ex causa permutationis, nisi quæ publicaretur intra certum tempus: videlicet, si ageretur de resignatione in Romana Curia facta, infra sex menses, si beneficium intra montes fuerit; & si ultra montes, intra novem menses, à data concessionis gratiæ, non à die præstiti consensus numerandos; quod si ageretur de resignatione facta apud Ordinarium, vel apud alium extra Curiam Romanam, intra mensem publicatio fieret. Itaque ut hodie resignatio valeat, debet intra legitimum tempus publicari; id est publicè nota fieri in Ecclesia beneficii, in conventu populi actum renunciationis legendo, illumque ad fores Ecclesiæ promulgando, ut, quid gestum sit, omnibus pateat. Non tamen inverosimile est, etiam per æquipollens, ut ajunt, publicationem fieri posse, quod contingit, quum nec vi, nec clam, nec precario resignarius missus fuerit in possessionem beneficii, & ab ejusdem possessione resignans omninò recesserit; id enim est, quod vulgò dici solet, missionem in possessionem publicationi æquivalere, dummodò resignans non amplius in possessione sit; Faber in codice de sacros. Eccles. def. fin. 14., juncta definitione 59. & 60.

Non sunt omittendæ duæ aliæ regulæ Cancellariæ, nimirum 40. & 45., in quarum priore occurritur bono publico, ne aut permutationes, aut resignationes contra leges fiant; in posteriore occurritur indemnitati singulari, qua resignantium, qua resignatariorum. Itaque in regula 40., cavetur, ut cum receptio resignationis alicui committatur, tum Executor Apostolicus moneatur, ut observet, an in resignationem simoniaca

labes, aut alia illicita pactio, & morum corruptela irreperit; item ut cum alicui committatur receptio resignationis causa permutationis, moneatur Executor, ut noverit, effectum non habere permutationem, nisi reverà uterque ex permutantibus jus habuerit in beneficio, quod permutatur. Quid enim, si unum beneficium litigiosum fuerit? Quid si fictitium, vel nullius omninò redditus, quod Pragmatici appellant beneficium *de pertica*? Quid si beneficium esse dicatur, quod erat aut laica Cappellania, aut pium quoddam legatum? In his omnibus casibus permutatio nullius erit momenti. In regula 45. statuitur, ut, cum de resignatione, vel cessione beneficii agitur, sive in manibus Papæ, sive in Cancellaria Romana, non aliter Apostolicæ litteræ expediantur, nisi resignans, vel cedens, si præsens in Romana Curia fuerit, personaliter, alioquin per procuratorem suum ad hoc ab eo specialiter constitutum, expeditioni hujusmodi in eadem Cancellariæ expressè, consenserit, & juraverit; quod si beneficiarius pluries successivè gratia diversarum personarum de eodem beneficio resignando consenserit, primus tantum consensus attendatur. Denique observandum est, resignationem in favorem ferè semper in Romana Curia expediri per litteras in forma *dignum* juxta constitutionem 32. Pii V., mandarique Ordinariis executoribus, eorundem onerata conscientia, ut investigent resignarii qualitates universas, ac tum demùm ad exequendas Apostolicas litteras deveniant, cum satis sit utilitati Ecclesiæ factum, imò, si de beneficio Parochiali agatur, curent, ut resignarius ab Examinatoribus Synodalibus examinetur. Insuper hodie receptum est à temporibus Clementis XI., ut, si agatur de resignationibus Parochialium, Dignitatum, Canoniarum, & aliorum Beneficiorum residentialium, adhibenda sit attestatio Ordinarii super idoneitate resignarii, exceptis resignationibus Canoniarum

Col-

Collegiarum Gallia, in quibus in Romana Curia nullae exiguntur Ordinarium attestations: quod si agatur de resignatione beneficiorum simplicium, receptum quoque est in Romana Curia, ut illa admitti valeat sine attestations Ordinarii; insuper si agatur de beneficio Parochiali resignando, non aliter, excepta Gallia, resignatio admittatur, quam si resignatarius sit jam constitutus in aetate annorum triginta, quamquam gene-

raliter verum sit, ad beneficium Parochiale adeo provecam aetatem non requiri. Id refertur apud Rigantium ad Regulam 45. Cancellariae numero 36. & sequentibus. Ex quibus omnibus liquet, quibus cautionibus pro temporum opportunitate usi fuerint Pontifices Maximi, ut inter resignationes occasio omnis auferretur, fraudem faciendi, quae fieri saepe consuevit ex multorum improbitate, utilitatibus Ecclesiarum.

A P P E N D I X

De Beneficiis impropriis.

Quemadmodum feuda impropria dicuntur, quae a generalibus feudorum regulis recedunt juxta singularem investiturae formulam; ita jure optimo beneficia dicuntur impropria, quae generaliter, & undecumque non habent beneficiorum omnium naturam, qualitates, proprietatesque universas, sed ejus indolis sunt, qualem singulari jure ex sui institutione, vel ex fundationum tabulis acceperunt. Hinc tot demonstrari possunt beneficiorum impropriorum exempla, quot modi sunt, quibus simplex beneficiorum natura immutetur, ea adjecta observatione, qua demonstratur, quaedam beneficia modo magis, modo minus impropria dici, prout vel magis, vel minus beneficiorum ordinariis regulis subsunt. His positis, beneficia impropria dixeris praestimonialia, seu praestimonialia portiones, quae scilicet alicui conceduntur, incidente quadam ex causa, nec perpetuo duratura, ex gr. causa studiorum, vel paupertatis, vel militiae ineundae, cap. ult. de concess. praeb. in 6. Impropria quoque dixeris beneficia manualia, electiva, patronalia, item coadjutorias etiam cum jure futurae successionis, vicarias, & alia bene multa. Sed quae magis, & omnino impropria dici possunt, sunt clerica-

lia patrimonialia, & cappellaniae, praesertim laicales, quibus vix beneficium ecclesiasticum nomen tribui potest, quibusque propterea nullo modo accommodari possunt leges illae universae, quae de beneficiis ecclesiasticis mentionem faciunt, sive onus, sive jus, aut privilegium contineant. De hoc igitur postremo beneficiorum impropriorum genere superest, ut in praesentia disseramus, ad absolvendam tractationem; siquidem de aliis impropriis beneficiis jam multa in praecedentibus tradita sunt, & pro omnibus sufficeret generatim dicere; ipsis regulas omnes beneficiis praestitutas accommodari, nisi in quibusdam a generalibus regulis eadem beneficia exempta fuisse apertissime demonstrantur.

Ut primum de clericalibus patrimonialibus dicam, observant viri eruditi, per duodecim ferè priora saecula nullum fuisse illorum usum. Vel enim ad ea tempora respicimus, quibus Clerici vitam communem ducentes ex redditibus Ecclesiarum in communi alebantur; tum verò quicumque ab Episcopo ordinaretur in bonorum communionem adscisceretur in Collegio, neque ordinabantur plures, quam reddituum quantitas, & ratio ferre valeret; quamobrem ut plurimum praestitutus erat administratorum numerus, quem-

quemadmodum de Constantinopolitana Ecclesia testatur Justinianus in Nov. 3. principio, & cap. 1., cui jungi potest Novella 6. cap. 8., & si quando praeter numerum ordinatio facta fuisset, sacris canonibus omnino improbabatur, ita ordinatis ab ordine, officioque suspensis, can. 1. & 2. dist. 70. nisi forte adauctis redditibus ecclesiasticis Episcopus alios adjungi Clericos non tam utiliter, quam commodè posse duxisset. Vel ad ea tempora respicimus, quibus jam discissa vitae clericalis communione singulis certa bona, certa que officia sub beneficii nomine adsignata fuerunt; tum verò nemo ordinabatur, nisi occasione vacantis beneficii, ejusque titulo, quemadmodum etiam hodie usu venit in ordinatione Episcoporum, qua nemo insignitur, nisi certa Sede Episcopali vacante. Temporibus Alexandri III., & Innocentii III. cum quidam Episcopi numerum Clericorum pro lubitu auferent, cavendum fuit, ut ordinatorum in poenam admissi tenerentur ordinatis indigentibus necessaria vitae subsidia ministrare, quod adparet primum ex cap. 4. de praebend. Ibidem voluit Alexander III. ut si Episcopus aliquem in Diaconum, vel Presbyterum ordinaverit sine titulo, de quo necessaria vitae percipiat, tamdiu ei necessaria ministret, donec in aliqua Ecclesia convenientia stipendia militiae clericalis adsignet, adjecta exceptione, nisi ordinatus de suis, vel paternis bonis subsidium vitae habere possit. De Subdiaconis nihil expressè definit Alexander III., utpotè ejus aetate Subdiaconatus ordoncedum inter sacros adnumerabatur, can. 4. dist. 60. Temporibus Innocentii III. etiam Subdiaconi referri coeperunt inter Clericos majores, & verè in sacris ordinibus constitutos, uti liquet ex cap. 9. de aet. & qualit. perfic., tum verò Innocentius III. eandem disciplinam observandam in ordinatione Subdiaconorum mandavit, quae in ordinatione Diaconorum, & Presbyterorum observabatur. Hinc est, quod in cap. 13.

de aet. & qualit. praefic. conquestus de cujusdam Episcopi facto, qui Clericos sacris ordinibus sine titulo initiaverat, mandavit eidem, ut ordinatis provideret. Id ipsum & clarius rescripsit in cap. 16. de praebend., ubi tradidit, canonum sententia debere quidem irritas esse ordinationes sine titulo factas, attamen ex indulgentia quadam, se mitius agere velle, mandans, ut Episcopus, qui Subdiaconum sine titulo ordinaverat, ordinato beneficium concederet, & quousque non concesserit, ordinato vitae necessaria suppeditaret. Exceptionem etiam probavit in cap. 23. de praebend., declarans, posse sacros ministros sine titulo ordinari, quin ordinatores teneantur ad necessaria vitae subsidia praestanda, quoties ordinati de patrimonialibus bonis valeant sustentari. Ex his rescriptis factum est, ut passim judicaretur abolita veterum canonum poena praestituta odio ordinationum sine titulo factarum, qua nimirum ordinati erant ab ordine suspensi, can. 1. & 2. dist. 70., cujus loco successerat obligatio poenae ordinatorum alendi ordinatum. Ad evadendam hanc obligationem curaverunt Episcopi; ut, quoties ordinaturi essent majores Clericos sine titulo, id est nullo concessio beneficio, tum non aliter ordinandos admitterent, quam si ordinandi se necessariis vitae subsidiis non destitui demonstrarent, quod probabatur laudatis Alexandri III., & Innocentii III. rescriptis, atque hanc demonstrationem appellaverunt Patrimonii ecclesiastici constitutionem, cap. 23. de praebend. At enim interea quidam Episcopi abutebantur hac nova disciplina; nimirum cum ordinaturi essent Clericos inopes, ut se ab onere eos alendi relevarent, exigebant ab ordinandis jusjurandum, quo sponderent, se nihil ab ordinatoribus postulatuuros. Gregorius IX. gliscenti abusi occurrit, statuens in hac specie, ordinatorum per triennium esse a collatione ordinum suspensum, & ordinatum esse suspensum ab ordine sic suscepto,